Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3125
Quelle:
Copyright:

ita pergit: *miſerere famulo tuo miniſtro, et dirige eum* &c. Aliae Horae de Beata, Paraphraſis rhythmica Decalogi hujus tenoris:

Vng ſoul dieu de tout creatour
Tu ſeruiras et aymeras
Et en lui lamour de ton cueur
Sus toutez chouſez tu meptras.

Le nom de dieu ne de ſes ſains
Sans grant neceſſite ne iurez
Tu te dampnes ſoys en certains
Cy en iurant tu te pariurez &c.

Alia prolixa Oratio hac lingua ad Deum, Commemoratio latina contra *ſacrum Ignem* ad D. *Antonium*, cui in praevia Icone adſtat D. *Franciſcus* jam 5. Stigmatibus notatus, demum Officium pro Fidelibus defunctis, ante quod Cadaver terrae committendum non niſi telae lineae inſutum absque tumba depictum conſpicitur, id, quod in pluribus hujus aevi monumentis obſerves. *Codex* hic pluribus veſtigiis deprehenditur κτημα olim fuiſſe nobilis Stirpis gallicae *de Fontenailles d'Aubert et Marigne*. Nam primum in *Calendario* notantur defuncti Menſe Majo *Petrus de Fontenailles* 1466. Dec. *Paulus* 1481. Sept. *Johannes* 1559. et *Julianus* 1586. cum aliis quibusdam Proſapiae *de la Croix*. Deinde *fol.* 113. p. 2. legitur: *Ceſt liure eſt a guyonne de la croyz dame de marigne la quelle le leſſe en la ditte meſon pour ſen ſeruir les dames ſuccedantez apres elle et non pouvoyr de l enleuer*, et paullo ſupra: *Priez dieu pour Yſabeau dorenge et gyonne ſa fille*. Obiit haec juxta *Calendarium* m. Apr. 1499. Intelligendam autem per *la ditte meſon* Domum *Fontenalliam* cenſeo ex eo, quod praedictae Notae bis a diverſa manu ſubjectum eſt: *De Fontenailles*, tanquam duae Matronae (*Dames ſuccedantez*) fidem hanc roboraſſent. Demum ad Libri calcem habentur primum Proles *Johannis de Fontenailles* et *Ivonae le Porc* ab a. 1545. ad an. 1558. dein Proles *Triſtani* et *Renatae de Champaigne* ab a. 1572. ad an. 1579. tandem Proles *Juliani* et *Gabrielidis de Goue* ab a. 1599. ad an. 1620. inter quarum omnium *Patrinos* multae ſane aliae Stirpes illuſtres *Galliae* nominantur. Atque haec Studii genealogici cauſſa nolebam tacita relinquere, doctus experientia, quam inexpectatae non raro quaeſtiones moveantur.

DCCCLXXXVII.

Codex membraneus lat. gall. 959
Sec. XV. Folior. 169. 4. bene ſcriptus, literis initialibus, et marginibus omnibus deauratis et picturatis, additis Iconibus grandibus XV. aurea luce ſpecioſis, potiſſimumque opere architectonico circumdatis, et iis ſimilibus, quae deinceps in *Gallia* aeri inciſae et coloribus inductae exeunte Sec. XV. et inchoante XVI. in Libris precatoriis *Pariſiis* prelo excuſis viſuntur, *Horarium* eſt ſequentia complexum: *Calendarium*, IV. Evan-